




RENATUS UGLIONE

DE VERGILIO APUD PATRES ECCLESIAE

DE VERGILIO APUD PATRES ECCLESIAE

Vergilii commemoratio anno vitae eius supremo bis millesimo incidente Romae habita est in Curia Riaria, III Kal. Dec. MCMLXXXI.

*Eminentissimi S. R. E. Cardinales,
Excellentissimi Sacrorum Antistites,
Praeclari, qui adestis, Latinae linguae cultores,*

Bis millesimo anno vertente, a quo P. Vergilius Maro mortem occubuit, Latinitatis cultores ubicumque gentium publicis conventibus summum e Romanorum poetis concelebrant. Ne Opus quidem Fundatum, cui nomen « Latinitas », tam clarum annum tantaque commendatione praeditum latere ac silentio praetermitti pertulit. Nam, « cum semper — ut nos commonet I.B. Pighi — praenuntia veri lumina in antiquis iuvat quaerere tum maxime in iis qui caelesti aliquo ignarae mentis instinctu diem tamen extrema quasi nocte praesenserint. Quorum in numero Vergilio principem locum communis opinio numquam non dedit ».¹

Itaque ergo Opus nostrum Fundatum Mantuani vatis commemorationem commovendam censuit mihique amplissimum praeconii legendi honorem commisit. Quod munus cum accepi, prae grave sane meis viribus et onerosum, diu mecum in animo consideravi quid ad huius praeclari coetus utilitatem attingerem. Tandem constitui de Vergilio disserere quid Patres sensissent ac hausissent, quo planius gloria nomenque ab eo consecuta apud gentes Latina Christianaque humanitate imbutas intellegerentur.

Qui Patrum monumenta variosque recolit casus, eos non numquam sibi valde repugnantes deprehendit, quippe qui tum ethnicos scriptores respuant atque fastidiant, tum eosdem studiose excolant et perlegant, sive quo melius refellant sive quod omnis cultus atque humanitatis fundamento hi scriptores universo consensu habeantur: Vergilius in primis, quasi *lapis angularis* litterarum studiorum,

¹ *De sacris Horatii carminibus*, « Latinitas », 10 (1962), p. 171.

auctor in omni institutionis gradu praescriptus:² Vergilio enim nisus, *magister litterarius* pueros docebat syllabarum mensuram vocisque flexionem;³ Vergilii in versibus solvendis adulescentes *grammaticus* exercebat;⁴ Vergilio auctore usus *rhetor* discipulos ad lumina orationis et ad sententias torquendas instituebat: Vergilius prorsus maximum habuit momentum in Christianos scriptores iam inde a primordiis. Sic acerrimus ille in dicendo, Tertullianus videlicet, quem haec intonantem audimus: *Quid ergo Athenis et Hierosolymis? Quid Academiae et ecclesiae?* (*Praescr. haer.* VII, 9), Vergilii locos nihilominus saepe profert, aliquando non nullos illustrans, ut illum Aeneidos (IV, 174) ad famam attententem.⁵ Item in Tertulliani sententiam sic loquitur Hieronymus: *Quid facit cum psalterio Horatius? cum evangeliiis Maro? cum apostolo Cicero? ... Simul bibere non debemus calicem Christi et calicem daemoniorum* (*Ep.* XXII, 29);⁶ attamen, qui haec monuit, optima veterum poetarum non sprexit: *Cum ante annos plurimos — in eadem epistula confitetur — ... Hierosolymam militaturus pergerem, bybliothea quam mihi Romae summo studio ac labore confeceram carere non poteram. Itaque miser ego lecturus Tullium ieiunabam. Post noctium crebras vigilas, post lacrimas quas mihi praeteritorum recordatio peccatorum eximiis visceribus eruebat, Plautus sumebatur in manibus* (*Ep.* XXII, 30).⁷

² De hac re fuse agit A. QUACQUARELLI, *Indirizzi e metodi della Scuola Antenicena*, Brescia 1962.

³ Cfr. QUINT., *Instit. Orat.* I, 8, 1 et 5.

⁴ Cfr. QUINT., *Instit. Orat.* I, 8, 13; AUG., *Conf.* I, 17, 27.

⁵ Cfr. NAT. I, 7, 2-6; APOL. VII, 8-9; quos locos accurate explanat A. QUACQUARELLI, *Una difesa retorica di Tertulliano: l'auxesis di Virgilio, Aen. 4, 174 in Oikoumene. Studi Paleocristiani in onore del Concilio Ecumenico Vaticano II*, Catania 1964, pp. 159-174.

⁶ Saeculares litterae, hic *calix daemoniorum* nuncupatae, in superiore epistula (XXI, 13) sicuti *daemonum cibus* damnantur:

Daemonum cibus est carmina poetarum, saecularis sapientia, rhetoricorum pompa verborum. Haec sua omnes suavitate delectant: et dum aures versibus dulci modulatione currentibus capiunt, animam quoque penetrant, et pectoris interna devinciunt... At nunc etiam sacerdotes Dei, omissis Evangeliiis et Prophetis, videmus comoedias legere amatorias, Bucolicorum veruum verba canere, tenere Vergilium.

⁷ Recolantur praeterea quae Hieronymo obicit Rufinus, cum eum exprobat *sacramenti verba* violasse somnii illius in *Ep.* XXII enarrati (« deiurare coepi et nomen eius obtestans dicere: 'Domine, si umquam habuero codices saeculares, si legero, te negavi' »):

Relegantur nunc, quaeso, quae scribit, si una eius operis pagina est quae

« Nullum autem — ait Aemilius Lübeck⁸ — e poetis Romanorum omnibus Vergilio accuratius (Hieronymus) novit »: nullum immo — nosmet adicimus — maioribus is extulit laudibus, qui Vergilium appellavit *poetam eloquentissimum* (Ep. CXXIX, 4), *insignem* (Adv. Iovin. I, 41), *illustrem* (In Zach. I, 18-19; In Ioel I, 4; Ep. CXL, 10), *poetam sublimem, non Homerum alterum... sed primum Homerum apud Latinos* (In Mich. VII, 5-7).

Et quomodo aliter fieri poterat in scriptore a puero, *ab ipsis incunabulis* (Adv. Ruf. II, 29), cum Mantuano vate coniunctissimo, discipulo illius Vergilii interpretis quem ipse memori et semper grata recordatione iterum iterumque prosequitur: *praeceptor meus Donatus*⁹ (Adv. Ruf. I, 16)? Quae grammatica rhetoricaque institutio dilucide apertiusque patet, cum Vergilium adhibet Hieronymus ad orationis lumina illustranda, ut reticentiam [*ἀποσιώπησις est iuxta illud Vergilianum* (Aen. I, 135): « Quos ego! Sed motos praestat componere fluctus »¹⁰: In Ier. IV, 11-12], anticipationem [*Per anticipationem, quae Graece πρόληψις appellatur, iuxta illud Vergilianum* (Aen. I, 2-3) « Lavinaque venit / litora »: In Ezech. XXX, 1], pleonasmum [*Filias autem feminarum per πλεονασμὸν vocat, ut est*

non eum integrum Ciceronianum pronuntiet, ubi non dicat: « Sed Tullius noster, sed Flaccus noster, sed Maro ». Sed in omnibus fere opusculis suis multo plura et prolixiora testimonia de his suis quam de prophetis nostris vel apostolis ponit. Puellis quoque et mulierculis scribens, quae non utique nisi de nostris scripturis aedificari et cupiunt et debent, exempla eis Flacci sui et Tullii vel Maronis intexit (Apol. adv. Hieron. II, 7). Et, paulo infra: Maronem suum comicosque ac lyricos et historicos auctores traditis sibi ad discendum Dei timorem puerulis exponebat; scilicet ut praeceptor fieret auctorum gentilium (Ibid. II, 8).

⁸ Hieronymus quos noverit scriptores et ex quibus hauserit, Lipsiae 1872, p. 5. Confer quoque quae scribit H. HAGENDAHL, *Latin Fathers and the Classics*, Göteborg 1958, p. 276: « No poet, no classic author altogether came nearer to Jerome's heart than Virgil ».

⁹ « Christianity triumphed over the pagan religions, but in had to yield to the pagan school-system, the last stronghold of classical culture. In the first four centuries the Christians did not dream of creating Christian schools; the pagan educational system, to which they were once, at best, indifferent, became in course of time indispensable to them... Jerome is perhaps the best example of this influence. No other Christian writer... has so much to say about school education. Again and again he recalls his schooldays, first in Stridon, then in Rome »: HAGENDAHL, *op. laud.*, p. 311.

¹⁰ Eodem aposiopesis exemplo usi sunt QUINT., *Inst. Orat.* IX, 2, 54 et DONATUS, *Ad Eun.*, I, 1, 20, unde id Hieronymum desumpsisse verisimile est.

illud poeticum (Aen. I, 614) « *Sic ore locuta est* », ¹¹ (*ib.* IV, 359) « *Vocemque his auribus hausi* » ¹²: In Dan. XI, 17], brevitatem [*Et notanda brevitatis, quam admirari in Vergilio solebamus: « Juvenes quae causa subegit / ignotas tentare vias? Quo tenditis? inquit. / Qui genus, unde domo? Pacemne huc fertis an arma? »* (Aen. VIII, 112-114). *Interrogatur persona, regio, iter, civitas, ut ex his cognoscatur et causa discriminis: In Ion. I, 8].* Sed *Vergilianum* studium cuncta fere eius opera redolent, adeo ut Andicum poetam ei numquam non praesto esse arbitreris.

Ut probe scimus, indole fuit Stridoniensis proclivis ad iram, ad offensionem accipiendam mollis, pugnax, mordax: acutis Lucilii, Horatii et Iuvenalis sagittis pharetram suam implet, saepe etiam Vergilianos versus in contumeliam intorquet. Sic illud Aeneidos (VI, 845-846), cum Rufino contendens, immutat adversarioque accommodat:

« *Tu Maximus ille es,
Unus qui nobis scribendo* ¹³ *restituisti rem* » (Adv. Ruf. III, 29).

Eodem in libello (I, 5): *Fortasse brevi tempore* (Rufinus) *didicit, quod nos docere debeat, et quod illum scire nullus putabat, subitum eloquentiae flumen ostendet:*

« *Sic pater ille deum faciat, sic magnus Jesus!
Incipiat conferre manum* » ¹⁴.

Veruntamen putandus non est Hieronymus asper semper fuisse. Immo eius in animo varii diversique coalescunt affectus. Epitaphia Fabiolae, Paulinae et Nebridii luculenta sunt monumenta tenerae mitisque animi indolis qua praeditus necopinatum is exhibet vim flendi cum flentibus, vitaeque functos maerendi, eorumque gesta praedicandi suavi cum eloquentia. Quam ipse Vergilianis vocibus alit fulcitque.

Fabiola (Ep. LXXVII, 11) *necdum spiritum exhalaverat...*
« *et iam fama volans, tanti praenuntia luctus* » (Aen. XI, 139),

¹¹ Exemplum hoc sumptum esse videtur e DONAT., *Ars gramm.* III, 3.

¹² Idem pleonasmum exemplum attulit QUINT., *Inst. Orat.* VIII, 3, 54.

¹³ Vergilius: *cunctando*.

¹⁴ Cfr. Aen. X, 875-876:

*Sic pater ille deum faciat, sic altus Apollo.
Incipias conferre manum.*

totius urbis populos exsequias congregabat. Sonabant psalmi et aurata tecta templorum reboans in sublime alleluia quatiebat.

« Hic iuvenum chorus, ille senum, qui carmine laudes Femineas¹⁵ et facta ferunt » (Aen. VIII, 287-288).

Haud absimilia is adhibet pigmenta, obitum quoque cum luget Paulinae (Ep. LXVI, 1): *Quae enim aures tam durae, quae de silice excisa praecordia et Hyrcanarum tigrium lacte nutrita possunt sine lacrimis Paulinae tuae audire nomen?*¹⁶ Paulina, tanti *« dux femina facti »* (Aen. I, 364), caritatis operibus maritum anteibat (Ep. LXVI, 3), eiusque fores quae prius salutantum turbas vomebant, nunc a miseris obsidentur (ib. 5).¹⁷

Eundem poetam resonant laudes Nebridii (Ep. LXXIX, 6): *Nebridius pusio patrem quaerentibus exhibet:*

« Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat » (Aen. III, 490). *Scintilla vigoris paterni lucet in filio et similitudo morum per speculum carnis erumpens:*

« Ingentes animos angusto in pectore versat » (Georg. IV, 83).

Itemque uxor eius, Salvina, in luctu solacio afficitur (Ep. LXXIX, 7): *Audi quid ex persona viduae continentis ethnicus poeta decantet:*

« Ille meos, primus qui me sibi iunxit, amores

Abstulit; ille habeat secum servetque sepulchro » (Aen. IV, 28-29).

Cum luctuosissimi Barbarorum incursionum nuntii ad Bethlemiticum recessum pervenere, earum ruinas cladesque en quam miserabiliter Vergilianis pingit coloribus, in *epistula ad Heliodorum* (LX, 16):

Capti episcopi, interfecti presbyteri et diversorum officia clericorum, subversae ecclesiae, ad altaria Christi stabulati equi, martyrum effossae reliquiae: « ubique luctus, ubique gemitus¹⁸ et plurima mortis imago » (Aen. II, 368-369)... *Obsessa Antiochia et*

¹⁵ Vergilius: *herculeas*.

¹⁶ Cfr. Aen. IV, 366-367:

*Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus Hyrcanaeque admorunt ubera tigres.*

¹⁷ Cfr. Georg. II, 461-462:

*Si non ingentem foribus domus alta superbis
mane salutantum totis vomit aedibus undam.*

¹⁸ Vergilius: *pavor*.

urbes reliquae... tracti greges captivorum; Arabia, Phoenix, Palestina, Aegyptus timore captivae.

« *Non mihi si linguae centum sint oraque centum
Ferre vox,
Omnia poenarum percurrere nomina possim* » (Aen. VI, 625-627).

In aliis vero locis, cum georgicis Musis Hieronymus habet commercium: ad Rusticum monachum scribens, sic eum ad hortorum hortatur culturam (Ep. CXXV, 11): *In quibus (areolis) cum holerum iacta fuerint semina vel plantae per ordinem positae, aquae ducuntur inriguae, ut pulcherrimorum versuum spectator adsistas:*

« *Ecce supercilio clivosi tramitis undam
Elicit, illa cadens raucum per levia murmur
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva* » (Georg. I, 108-110).

Sed et ad ipsos intimos Christianae pietatis sensus expromendos, Vergilium arcessit ab eoque verba petit mutua (In Ezech. XL, 5): *Dum essem Romae puer et liberalibus studiis erudirer, solebam cum ceteris eiusdem aetatis et propositi diebus dominicis sepulcra apostolorum et martyrum circuire crebroque cryptas ingredi, quae in terrarum profunda defossae ex utraque parte ingredientium per parietes habent corpora sepulcorum, et ita obscura sunt omnia ut... raro desuper lumen admissum horrorem temperet tenebrarum... et caeca nocte circumdatis illud Vergilianum proponitur: « Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent »* (Aen. II, 755).

Verum Vergiliani loci tam crebri frequentesque sunt apud Hieronymum, ut longum sit in eis recensendis perseverare.

De quibus quoque loqui supersedeo penes alios Ecclesiae Patres, ne oratiunculam meam longius producam.

Nunc autem aliud argumentum nec parvi ponderis est aggregandum: qua, scilicet, auctoritate Mantuanus vates in Christianorum poetas valuerit. Si magnam vim — ut antea ostendimus — in Christianis scriptoribus schola habuit, maiorem profecto attulit in poetas.

Caesarea aetate litterarum studia potissimum poetis innitebantur: *Ars grammatica praecipue consistit in intellectu poetarum*

(SERG., *Expl. in art. Donati*, 4, Keil, p. 486). Omnibus sane compertum est discipulos in carminibus variis modis numerisque fundendis esse exercitatos nec non in Vergilii versibus discerpendis aliaque ratione consuendis.¹⁹ Quam litterarum disciplinam Christiana poesis, quae saec. IV viguit, redolet. Nam, cum tribus prioribus saeculis sacra novae religionis poemata indolem prorsus popularem prae se ferant, ineunte saec. IV, Ecclesiae pace a Constantino concessa, Christianorum poetarum cohors exorta est, qui, populari ratione a maioribus tradita omnino reiecta, optimorum scriptorum veneres sunt imitati, quas, materia a Sacris Litteris desumpta, Christiano afflatu Christianaque veluti civitate donarunt. Epicum poema primum illi coluerunt, quod princeps praecipuumque litterarum generum vulgo habebatur.²⁰

Christianorum epos instituit Iuvenus, presbyter Hispanus, qui in *IV Evangeliorum libris* Evangelicas historias Vergiliano more narrare adortus est, quas versibus heroicis *paene ad verbum* (HIER., *De viris illust.*, 84) transtulit; *nec pertimuit* — ut Hieronymus testatur (*Ep.* LXX, 5) — *Evangelii maiestatem sub metri leges mittere*, nec — ut ipse confirmat — *ornamenta terrestria linguae* (IV, 804) usurpare, ut *divinae gloriam legis* (IV, 803) caneret. Iuvenus enim ethnico Christianum epicum genus obicere conatur, cuius heros erit Christus, materia res ab eo in terra gestae: *nam mihi carmen erit Christi vitalia gesta* (Praef., 19); ne invocationem quidem omittit, non tamen Musarum, verum Sancti Spiritus: *Ergo age Sanctificus adsit mihi carminis auctor / Spiritus... / ut Christo digna loquamur* (Praef. 25-27). Ideo hanc novam materiam Hispanus poeta in constitutum traditumque litterarum ordinem inserit; Plautum, Ovidium, Statium egregie novit, maximeque Vergilium. Pro-

¹⁹ Cfr. TERT., *Praescr. haer.* XXXIX, 3-4: *Vides hodie ex Vergilio fabulam in totum aliam componi, materia secundum versus, versibus secundum materiam concinnatis. Denique Hosidius Geta Medeam tragoediam ex Vergilio plenissime exsuxit. Meus quidam propinquus ex eodem poeta inter cetera stili sui otia Pinacem Ceбетis explicuit.*

²⁰ « E interessante osservare come la fine del conflitto religioso e il riconoscimento del cristianesimo quale *religio licita*, vissuti e interpretati come vittoria 'storica' sui persecutori da parte delle comunità cristiane, si riverberino sulla produzione letteraria, tenendo a battesimo un nuovo genere poetico che, per comodità, si potrebbe dire dell'epica cristiana »: I.F. GIANOTTI - A. PENNACINI, *Società e comunicazione letteraria in Roma antica*, III, Torino 1981, p. 421.

fecto e *dulcedine Maronis* (Praef., 10) emanant eius elocutio, sententiae, verborumque delectus, in quo quandam is exhibet curam in priscis vocibus seligendis atque compositis. Quas quidem multas novat, ut, ex. gr., *flammivomus* (Praef., 23), *flammipes* (II, 546), *flammicomans* (IV, 201), *glaucicomans* (III, 623), *auricolor* (I, 356), *ignicolorus* (IV, 155; 559), *altithronus* (Praef., 24; II, 62; III, 409), *lucifluus* (III, 293; IV, 119).

Ipsa pangendi carminis ars epicum sapit artificium, ut cernere licet, ex. gr., in allitteratione et in polysyndeto *heroico versuum* 249-251 libri I:

*Summissique (Magi) simul quaesunt; tum munera trina
Tus, aurum, myrrham regique hominique Deoque
Dona ferunt...*

Quorum *brevitatem* iam tum Hieronymus collaudavit (*In Matth.* I, 2, 11).

Versuum puritas et elegantia, in quibus Iuvenus Vergilii vestigia calcavit, ab antiquis et recentioribus praedicantur; vis tamen afflatusque vere poeticus in eius carminibus desiderantur, illaque simplicitas quam tantopere in Evangelicis narrationibus admiramur, prorsus evanescit. Sic — uno tantum exemplo utar — angelum Mariam salutantem (Cfr. *Lc* I, 26 sqq.) poeta noster inducit (I, 57-66):

*Ad quam tranquillum sermonem nuntius infit:
« Salve, progenie terras iutura salubri,
Desine conspectu mentem turbare verendo,
Nam tua concipient caelesti viscera iussu
Natum, quem regnare Deus per saecula cuncta
Et propriam credi subolem gaudetque iubetque
Hunc ubi sub lucem dederis, sit nomine Jesus ».
Ad quem virgo dehinc pavido sic inchoat ore:
« Nullos conceptus fieri sine coniuge dicunt;
Unde igitur subolem mihimet sperabo venire? ».*

Sed quantum institutio Vergilique studium apud Christianorum poetas potuerint maiore indicio est *Cento Probae*, matronae Romanae, quae ex locutionibus, hemistichiis atque etiam integris versibus a Vergilio desumptis apteque inter se iunctis, *more cento-*

nario,²¹ Veteris ac Novi Testamenti narrationes intexuit. In poematis *prae-fatione* quid sui consilii sit proponit: *Vergilium cecinisse loquar pia munera Christi* (v. 23). Hoc quidem carminum genus confestim fortuna prospera utitur, quippe quod pravis sui temporis iudiciis obtemperet, cum pro poesi habebatur peritia veterum poetarum versus veluti tessellas restituendi, musivariarum in modum. Haud ignota autem est illa de hoc centone sententia cuiusdam *librarii*, cui Probae carmen describendum imperator Arcadius mandaverat: *Maro mutatus in melius!*

Attamen non est quin videat hoc esse scribendi versus genus fucatum, haud sincerum, non numquam nimia audacia affectum in Evangelico textu adulterando, ut iam tunc Hieronymus indigne est conquestus,²² qui cum alia tum Christi verba in cruce morientis refert (*Lc 23, 33*: « Pater dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt »), sic a Proba immutata (vv. 621-624):

Ille autem impavidus (Aen. X, 717): « Quo vincula nectitis? inquit (Ecl. VI, 23)

Tantane vos generis tenuit fiducia vestri? (Aen. I, 132)

Post mihi non simili poena commissa luetis » (Aen. I, 136)

Talia perstabat memorans fixusque manebat. (Aen. II, 650)

Hic, uti patet, Christus percussoribus suis non ignoscit, immo contra ultiones graves terrificasque poenas minitatur!

Ut verba memorem Villelmi Zannoni: « Sive Iuvenus sive Proba nonnisi raro ad genuinae artis celsitudinem se extollunt. Eorum carmina carent vi, plus aequo artificio laborant, nimium imitandi studium ostendunt; quo fit, ut artificis actioni sacro flamine impulsae, passim quasi vincula et compedes iniciantur ».²³

Unus quidem eminet inter omnes Prudentius, novae fidei poetarum princeps:²⁴ *Christianorum Maro et Flaccus*, ut probe a R.

²¹ Cfr. TERT., *Praescr. haer.* XXXIX, 5: *Homerocentones etiam vocari solent qui de carminibus Homeri propria opera more centonario ex multis hinc inde compositis unum sarciant corpus.*

²² *Is garrulam anum (Ep. LIII, 7) Probam appellat, illiusque carmina contemnit ut puerilia... et circulatorum ludo similia. (ibid.).*

²³ *Quid poetica popularis ratio, quid optimorum scriptorum imitatio aetate SS. Patrum ad Latinam Christianorum poesim contulerint, « Latinitas » 6 (1958), p. 102.*

²⁴ Immo, « solo a Prudenzio si può concedere il titolo di poeta cristiano, pienamente cristiano; perché solo Prudenzio riesce ad avere una concezione

Bentley nuncupatus est.²⁵ Enimvero, « wie in seinen lyrischen Gedichten der christliche Horaz, so ist Prudentius in seiner Psychomachie der christliche Vergil ».²⁶ Quo in poemate is tubam epicam inflat, virtutum vitiorumque canens pugnas ad hominis animam possidendam.

Heroum igitur adhibet apparatus: pugnas scilicet; singulaeque certamina, ducum contiones et armorum descriptiones; heroeaeque poesis e fontibus haurit, e Vergilio in primis, cuius vestigia nusquam non inveniuntur: immo vero hic atque illuc Maronem ipsum canere credideris,²⁷ iam inde ab ipso — ut ita dicam — poematis limine, hoc est ab invocatione (v.1):

Christe, graves hominum semper miserate labores...

quae Apollinis invocationem in *Aen.* VI, 56²⁸ paene ab verbum repetit. Item Vergilianos locos haud raro resonant virtutes vitiaque ad pugnandas pugnas producta, uti, ex. gr:

cristiana della poesia e ad inserirla di pieno diritto, e non solo come qualcosa di tollerato, nel nuovo mondo di valori ricostruito dal Cristianesimo»: I. LANA, *Due capitoli prudenziani*, Roma 1962, p. 86.

²⁵ Sed recale quae idem I. LANA peropportune animadvertit: « L'espressione tante volte ripetuta del Bentley, che definiva Prudenzio *Christianorum Maro* et *Flaccus* può essere accolta, ma precisando bene che tale Prudenzio appare (o può apparire) a noi moderni, ma che non per essere giudicato tale egli si era messo a poetare: nulla è più lontano dalle intenzioni di Prudenzio che l'idea di dotare la poesia cristiana di opere in grado di competere con Virgilio e Orazio. Il problema dei 'modelli', delle fonti classiche, dei rapporti con la poesia pagana è, in quanto problema, problema nostro, non di Prudenzio » (*op. mem.*, p. 74). Et, paulo infra: « (Il Cristianesimo), come per ogni altro campo della civiltà antica accetta quanto di buono, e quindi non contrastante col Cristianesimo, tale civiltà ha prodotto, così, secondo la concezione prudenziana, per quanto attiene alla poesia può liberamente appropriarsi di ciò che di meglio ha saputo creare quella civiltà; i fini che la poesia si pone: lodare Dio, istruire i fratelli... autorizzano ampiamente un uso estremamente libero del patrimonio poetico classico » (p. 86).

²⁶ C. BUECHNER, s.v. *Vergilius*, in « *Realencycl. Pauly-Wissowa* », VIII, A/2, 1466.

²⁷ « In a poem where Virtues and Vices are made to do battle and where all the devices of epic machinery are brought into play, it is only natural that the content and technique of a martial epic like the *Aeneid* should have considerable influence. And in fact there are more Vergilian reminiscences in the *Psychomachia* than in any of the other poems of Prudentius »: A. MAHONEY, *Vergil in the Works of Prudentius*, Washington 1934, p. 47.

²⁸ *Phoebe, gravis Troiae semper miserate labores.*

Fides (vv. 30-35):

*Illa hostile caput phalerataque tempora vittis²⁹
 Altior insurgens labefactat, et ora cruore³⁰
 De pecudum satiata solo adplicat, et pede calcit³¹
 Elisos in morte oculos...³²*

.....
Difficilemque obitum suspiria longa fatigant.³³

Ira (vv. 115-117):

*Ut belli exsortem teloque et voce lacessit,³⁴

 Hirsutas quatiens galeato in vertice cristas.³⁵*

Avaritia (vv. 480-481; 551-552):

*Talia per populos edebat funera victrix³⁶
 Orbis Avaritia...

 Dixerat et torvam faciem furialiaque arma
 Exuit, inque habitum sese transformat honestum.³⁷*

Sic Libidinis in Pudicitiam impetus (vv. 41-48) Turni illius incursionis in Teucrorum classem (Aen. IX, 72 sqq.) memoriam commonet:

*Virgo Pudicitia speciosis fulget in armis,³⁸
 Quam patrias succincta faces Sodomita Libido
 Adgreditur, piceamque ardenti sulphure pinum
 Ingerit in faciem, pudibundaque lumina flammis
 Adpetit, et taetro temptat subfundere fumo;*

²⁹ Cfr. Aen. II, 133: *Et salsae fruges et circum tempora vittae.*

³⁰ Cfr. Aen. XII, 902: *Altior insurgens et cursu concitus heros.*

³¹ Cfr. Aen. XII, 303: *Impressoque genu nitens terrae adplicat ipsum.*

³² Cfr. Aen. VIII, 261: *Elisos oculos et siccum sanguine guttur.*

³³ Cfr. Aen. IV, 694: *Difficilisque obitus Irim dimisit Olympo.*

³⁴ Cfr. Aen. X, 644: *Inritatque virum telis et voce lacessit.*

³⁵ Cfr. Aen. XII, 493: *Hasta tulit summasque excussit vertice cristas.*

³⁶ Cfr. Aen. X, 602: *Talia per campos edebat funera ductor.*

³⁷ Cfr. Aen. VII, 415-6:

Allecto torvam faciem et furialia membra.

Exuit, in voltus sese transformat anilis.

³⁸ Cfr. Aen. VI, 826: *Illae autem, paribus quas fulgere cernis in armis..*

*Sed dextram furiae flagrantis in ignea dirae
Tela lupae saxo ferit imperterrita virgo,
Excussasque sacro taedas depellit ab ore.*³⁹

Sed in lyricis quoque carminibus, in quibus liberius poeta noster litterarum moris institutique laqueos abrumpit, non numquam Vergilii vestigiis mordicus haeret. Unum tantum exemplum propono, luculentissimum quidem: *hymnum*, dico, *VIII Kal. Ianuarias* e *Cathemerinon* libro selectum, ubi Prudentius, divino quodam spiritu instinctus, in suum poeticum sensum Vergilii eclogam IV traducit. Hoc sane *canticum novum* est, in quo antiquam poesis poeta noster in vitale animi sui alimonium convertit novaque fide sustentat et auget. In eo nempe optimorum veterum auctorum Latinitas cum Ecclesiae Doctorum mire conflatur, Vergilii et Horatii numeri cum Ambrosii, *saecularis* denique *sapientia*⁴⁰ cum Christiana. Quod plane ex hisce versibus colligi potest:

53. *Sentisne, Virgo nobilis,
Matura per fastidia
Pudoris intactum decus
Honore partus crescere?*⁴¹

61. *Vagitus ille exordium
Vernantis orbis prodidit;
Nam tunc renatus sordidum
Mendus veterum depulit.*⁴³

57. *O quanta rerum gaudia
Alvis pudica continet,
Ex qua novellum saeculum
Procedit et lux aurea!*⁴²

65. *Sparsisse tellurem reor
Rus omne densis floribus
Ipsasque harenas Syrtium
Fraglasse nardo et nectare.*⁴⁴

³⁹ Cfr. *Aen.* IX, 72-77:

Atque manum pinu flagranti fervidus implet.

...

*Atque omnis facibus pubes accingitur atris.
Diripuerunt focos: piceum fert fumida lumen
Taeda et commixtam Vulcanus ad astra favillam.
Quis deus, o Musae, tam saeva incendia Teucris
Avertit? Tantos ratibus quis depulit ignis?*

⁴⁰ Cfr. *HIER.*, *Ep.* XXI, 13.

⁴¹ Cfr. *Ecl.* IV, 61: *Matri longa decem tulerunt fastidia menses.*

⁴² Cfr. *Ecl.* IV, 5-9:

Magnus ab integro saeculorum nascitur ordo.

...

*Iam nova progenies caelo demittitur alto.
Tu modo nascenti puero, quo ferrea primum
Desinet, ac toto surget gens aurea mundo.*

⁴³ Cfr. *Ecl.* IV, 13: *Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri.*

⁴⁴ Cfr. *Ecl.* IV, 23: *Ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.*

69. *Te cuncta nascentem, puer,
Sensere dura et barbara
Victusque saxorum rigor
Obduxit herbam cotibus.*⁴⁵

73. *Iam mella de scopulis flu-
Iam stillat illex arido [unt,
Sudans amomum stipite,
Iam sunt myricis balsama.*⁴⁶

Nonne nobis hos versus audientibus multi eclogae IV loci occurrunt in mentem?

Qui Prudentiani versus amplissimum praebent documentum quam peramanti studio Vergilius affectus sit quantumque apud Christianos innotuerit eclogā IV, qua in Prophetarum numerum qui Christi adventum praececinere relatus est.

A IV saeculo usque ad fere nostram aetatem, non nulli auctores, inter quos Eusebius Caesariensis - Constantinus, Lactantius, Augustinus, Dantes Alagherius digni sunt qui praecipue memorentur, in hac ecloga vaticinationem Sybillae de Christi natalibus expressam, quam Vergilius ingeniose ad nobilis pueri natales transtulisset,⁴⁷ sunt opinati.

Quod quidem hodierni interpretes universa consensione denegant. Supervacaneum tamen non erit afferre quae Hector Paratore de Mediae Aetatis enarratoribus sentit, quaeque etiam in Patres valere videntur de quibus mentionem fecimus: « Gli esegeti medioevali che (Dante compreso) hanno visto nella ecloga IV un inconscio preannuncio della nascita del Cristo, una specie di cantico di Natale in anticipo... non meritavano quindi tutti i sarcasmi con

⁴⁵ Cfr. *Ecl.* IV, 8; IV, 24:

*Tu modo nascenti puero...
Occidet et serpens, et fallax herba veneni.*

⁴⁶ Cfr. *Ecl.* IV, 30; IV, 25:

*Et durae quercus sudabunt roscida mella.
... Assyrium volgo nascetur amomum.*

⁴⁷ Cfr. EUS. CAES., *De vita Const.* V, 19, 9 (*Oratio ad Sanct. Coetum*):

ὅπως δὲ μὴ τις τῶν δυναστεύοντων ἐν τῇ βασιλευσούσῃ πόλει ἐγκαλεῖν ἔχη τῷ ποιητῇ, ὥς παρὰ τοὺς πατέρας νόμους συγγράφοντι ἐκβάλλοντί τε τὰ πάλαι ὑπὸ τῶν προγόνων περὶ τῶν θεῶν νομιζόμενα, ἐπικαλύπτεται τὴν ἀλήθειαν.

Cfr. quoque AUG., *Civ. Dei* X, 27, ad adnot. 51.

cui li ha bersagliati la filologia del secolo scorso e degli inizi del secolo presente. La fusione tra i Profeti ebraici e le Sibille del paganesimo, di cui esiste pure un meraviglioso documento pittorico nella volta della Cappella Sistina, non è una fantasticheria *post eventum* della cultura medioevale, stimolata anche dalla poesia virgiliana. Essa è veramente il sostrato dell'ecloga IV... Virgilio non ha profetato la venuta di Cristo, ma si è ispirato anche al profetismo ebraico su cui si innestò e in cui trovò la temperie preparatoria il messaggio neotestamentario ».⁴⁸

Accuratissima quidem huiusmodi interpretatio apud Eusebium in *Constantini ad Sanctorum Coetum oratione* (Cfr. *De Vita Const.* V, 19-21) inveniri potest, ubi ecloga IV non solum in sententiam Christianam accipitur, verum etiam explicatione interposita Graece vertitur, ea ratione ut interpres ille Graecus ex libidine, more Sibyllinorum oraculorum interpretum, a Vergiliano textu longe discedat versusque mutet atque interpolet.⁴⁹

Imperator Constantinus complures huius eclogae locos perpendit, allegoriceque intellegit (συνίεμεν... δι' ἀλληγοριῶν ταῦτα λεχθέντα: *Orat.* 19, 8): *Ultima Cumaei carminis aetas quae venit* (*Ecl.* IV, 4) aetatem significat Tiberii « qua Salvatoris adventus (ἡ τοῦ σωτῆρος παρουσία) orbi illuxit sanctissimaeque religionis mysterium praevaluit (ἐπεκράτησε) » (*Orat.* 19, 3).

Virgo quae redit (*Ecl.* IV, 6) est Virgo Maria: « quanam ergo est virgo quae redit (παρθένος ἡ ἐπανήκουσα)? Nonne illa quae plena et gravida fuit Spiritu Sancto? » (*Orat.* 19, 6).

Nova progenies quae coelo demittitur alto (*Ecl.* IV, 7) novam Christianam gentem portendit, quae in Iudaicam succedit (ἡ νέα τοῦ δήμου διαδοχή: *Orat.* 19, 3) et, sicut *amomum*, *volgo nascetur* (*Ecl.* IV, 25: *Orat.* 20, 5).

Serpens qui occidet (*Ecl.* IV, 24) serpentem designat qui « primus primos decepit parentes (τοὺς πρωτοπλάστους) » (*Orat.* 20, 3); eademque ratione alios eclogae versus imperator explanat.

⁴⁸ Virgilio, Firenze 1961³, p. 166.

⁴⁹ De vero auctore et exemplari huius orationis magna inter doctos viros existit controversia: ad rem quod attinet, vide quae summatim exponit I. QUASTEN, *Patrologia*, II (ital. vers.), Torino 1969, pp. 327-329 (cum bibliogr.).

Ad quam interpretationem accedunt Lactantius⁵⁰ quoque et Augustinus, quem in *Epistula ad Marcianum* (Ep. CCLVIII, 5) illud Vergilianum: *Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri...* (Ecl. IV, 13) sic illustrantemprehendimus: *Iam profecto sic vivis, ut sis dignus baptismo salutari remissionem praeteritorum accipere peccatorum. Nam omnino non est, cui alteri praeter Dominum Christum dicat genus humanum: « Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri Inrita perpetua solvent formidine terras ».*

*Quod ex Cymaeo, id est ex Sibyllino carmine se fassus est transulisse Vergilius, quoniam fortassis etiam illa vates aliquid de unico Salvatore in spiritu audierat, quod necesse habuit confiteri.*⁵¹

Quem inter locum et *Orat. Const.* 20, 5 Petrus Courcelle⁵² cognitionem quandam invenit, quae Augustini probet assensum Constantinianae explanationi:

Καὶ εἰ τις ἰλὺς ἀνθρωπίνων ἀδικημάτων κατελείπετο (Cfr. Ecl. IV, 13), αὕτη πᾶσα λουτροῖς ἁγίοις ἐσμήχετο.

Ecloga IV de qua loquimur peropportunam nobis praebet materiam huic sermoni concludendo, quippe quae apta sit et consentanea his temporibus tenebrosis, cum omnes bonae voluntatis homines magnopere de pace pertimescunt ac trepidant pacisque veluti facem conantur attollere. Ut verbis utar Iosephi Del Ton, Vergilii cultoris amantissimi: « In Ecloga IV latioris et altioris pacis vota ferventi studio anhelant, pacis scilicet quae ad homines

⁵⁰ Div. Inst. VII, 24.

⁵¹ Cfr. quoque Civ. Dei X, 27: *Non enim te decepisset, quem vestra ut tu ipse scribis, oracula sanctum immortalemque confessa sunt; de quo etiam poeta nobilissimus poetice quidem, quia in alterius adumbrata persona, veraciter tamen, si ad ipsum referas, dixit:*

*« Te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
Inrita perpetua solvent formidine terras ».*

Ea quippe dixit, quae etiam multum proficientium in virtute iustitiae possunt propter huius vitae infirmitatem, etsi non scelera, scelerum tamen manere vestigia, quae non nisi ab illo salvatore sanantur, de quo iste versus expressus est.

⁵² Les exégèses chrétiennes de la quatrième églogue, « Rev. Et. Anc. », 59 (1957), p. 313.

primaevae aetatis innocentiam revehat, ac sine labore partis ditissimis telluris muneribus redintegratae iustitiae et sanctitatis firma foedera societ... Perquam dignus igitur Vergilius est, qui a pacis diligentibus apprime colatur, et circa tempora olivae ferat coronam ». ⁵³

RENATUS UGLIONE

⁵³ *Vergilius pacis vates*, « Latinitas », 5 (1957), p. 98.